



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XCII. Vtrum peccata venialia remittantur etiam per sacramentalia ex opere
operato?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

actuale, siue habituale; nullum verò tale peccatum habeat, qui est minus perfectus, minorisque absolute feruoris in charitate. Nemo enim est tam perfectus, iuxta prouidentiam ordinariam Dei, qui non possit peccare venialiter in sensu composito totius suae perfectionis, quasi substantialis; & vice versa nullus est tam imperfectus, qui non possit in Sacramento, vel extra Sacramentum, delere omnia sua venialia peccata, & abstinere per aliquod tempus, & breue interuallum, ab omni veniali, quin propterea pertingat ad eum gradum perfectionis, & feruoris in charitate, qui priori illi absolute inest. Necessè igitur præterea est, ad remissionem, & deletionem venialium, vt subinducatur formaliter, aut virtualiter feruor charitatis, qui sit directe contrarius diminutioni eiusdem feruoris inductæ prius per veniale, seu venialia, quæ præexistere, ita vt non solum compensetur, sed etiam tollatur vitæ retardatiua, seu tepefactiua charitatis, quæ iisdem peccatis peculiariter inest. Quæ de causa requisitus supra à nobis est determinatè dolor, & detestatio vniuscuiusque venialis, seu venialium, pro remissione, ac deletionem eorum, tam in sacramento, quam extra.

Art. 8. Sed quia dolor, & detestatio, quæ est pars materiæ huius Sacramenti, debet esse coniuncta cum proposito non peccandi de cætero, vt dictum est supra quæst. 88. ex Concil. Florent. & Trident. difficile apparet, quomodo deleri possint, per istud Sacramentum, omnia peccata venialia. Cum enim à nemine caueri imposterum possint omnia peccata venialia collectiue, vt dictum est quæst. 14. de grat. atque propositum de re impossibile sit impossibile, certè prudenter concipi nequaquam possit, ad Sacramenti verò constitutionem pertinere minime possit propositum imprudens, id est non procedens à virtute; videtur neminem disponi sufficienter posse, vt consequatur, per istud sacramentum, remissionem omnium venialium, quorum est reus. Dicendum autem est ex communi Theologorum consensu, quod docetur ab utroque eo Concilio, circa propositum non peccandi de cætero, accipiendum esse, quoad venialia, cum hac limitatione, quantum patitur humana fragilitas. Ita videlicet, vt verè proponat penitens emendationem imposterum quoad multitudinem, & magnitudinem venialium, velique adhibere diligentiam, quantum fieri potest, magnam in illis vitandis, licet non concipiat propositum efficax de totali vitiatione eorum omnium collectiue.

Art. 9. Nec obstat, quod alicui dum disponitur ad confessionem, atque in ipso actu confessionis, videatur se totidem, & talia imposterum commissurum esse peccata, quot, & qualia eo vsque commisit, nullamque subsequituram esse emendationem. Quia propositum humanum, vtcunque efficax intrinsecè, re ipsa est mutabile, ac frustrabile, adeoque compossibile cum iudicio, in experientia, aut aliunde, satis fundato, de frustratione, ac mutatione subsequutura de facto. Nempe alterum horum pertinet ad voluntatem, alterum ad intellectum; atque actus vtriusque huius potentiæ, alter proponens, alter coniciens de futuro, nituntur diuersis motiuis, nullam includentibus in se contradictionem, vel mediata, vel immediata. Sufficit itaque quod propositum emendationis sit impossibile, dum perseverat, cum euentu contrario, sitque intrinsecè sufficiens ad inducendum se solo euentum sibi conformem, Deo bene iuuante per suam gratiam, & ad fundandam, quantum est ex se, siue nisi impediatur aliunde, spem prudentem de eadem emendatione subsequutura re ipsa, quæ doctrina, à Suarez, & aliis communiter tradita, locum habet, proportionem seruata circa peccata quoque lethalia.

Ad 3. Peccata sunt materia tantum remota, tam

huius Sacramenti, vt superius dictum est, quam aliorum, seu sacramentorum, seu sacramentalium. Nullum autem est inconueniens, quod detur conuenientia quoad materiam remotam, dummodo proxima, & intrinsecè constituens sit diuersa. Hæc autem, præsertim adæquatè sumpta, est longè diuersa in hoc sacramento, & in aliis, tam sacramentis, quam sacramentalibus, vt apparet ex dictis supra. Opportunum præterea est, vt hic aliquid obiter subiiciatur circa suppositum obiectionis quoad vim sacramentalium ad delenda venialia.

QVÆSTIO XCII.

Virum peccata venialia remittantur etiam per Sacramentalia ex opere operato?

Videntur remitti. 1. Quia antiqua ab initio nascentis Ecclesiæ, traditio de qua constat ex communi fidelium consensu vt affirmant, Soto, Ledesma, & nonnulli alij, tribuit sacramentalibus vim remittendi venialia ex opere operato. Ergo ea illis certissime inest re ipsa.

2. Eadem vis remittendi venialia tribuitur. Primo orationi Dominicæ, tuncioni pectoris, & elemosynæ, c. Tres sunt, c. Medicina, c. Medicamentum, c. Quamobrem de Pœnit. d. 1. &c. Quotidianis de Pœnitentia d. 3. Deinde Aquæ Benedictæ canon. aquam, de consecratione, d. 3. ex Alexandro, 1. qui fuit quintus à D. Petro, & colligitur ex eius benedictione in qua petitur, vt sit in satisfactionem; in quam certè non esset, si neque venialia remittere posset. Tertio, Pani benedicto, canone cum omne crimen: de consecratione d. 2. Quarto, Benedictioni Sacerdotali, & maxime Episcopali, necnon vñctioni sacra in genere, canone Benedictio canone maledicam, canone Dicitur, 1. quæst. 1. & specialiter id colligitur de vñctione ex c. Vñctio de sacra Vñctione. Idem denique colligitur de oratione in Ecclesia consecrata, ex illo Regum 3. 8. 43. si quis cognouerit plagam cordis sui, & expandere manus suas in domo hac, tu exaudies, &c. Hæc igitur omnia habent vim remittendi venialia ex opere operato. Alioquin enim nullam prorsus vim peculiarem haberent aduersus illa, quam tamen illis peculiariter inesse, ex Textibus relatis, certissimum est, cum æquè certum sit apud omnes eadem non sufficere aduersus lethalia. Eadem porro ratio est de aliis quoque eiusmodi ceremoniis, & rebus sacris. Ergo sacramentalibus eiusmodi omnibus inest vniuersaliter vis remissionis venialium.

3. Potuit imprimis Deus Ecclesiæ suæ conferre potestatem, & auctoritatem instituendi sacramentalia cum virtute remittendi peccata venialia, de quo nemo dubitat, nec potest assignari ratio vlla dubitandi, quæ sit alicuius momenti. Deinde, vt dentur sacramentalia, præstita eiusmodi virtute, confert plurimum ad consolationem fidelium, & ad excitandam in ipsis deuotionem, piosque motus affectiuos erga res sacras, & earundem appetitiuos. Denique hoc idem est valde necessarium: certè est valde opportunum, ac rationabile. Vt nimirum adsint remedia facilia, & frequentissime iterabilia aduersus malum, quod facillimè, & frequentissime incidit: Cuiusmodi profecto remedium, & malum sunt sacramentalia, & peccata venialia. Christus autem Dominus contulit facto D. Petro, & successoribus eius potestatem, & auctoritatem ad ea omnia, quibus tanta, ac talis inesset utilitas, opportunitas, ac necessitas respectu fidelium. Contulit inquam per illa verba Ioann. 20. 17. Pæce oves meas, Matth. 16. & 18. Quæcumque solueritis: Quæ-

cumque ligaueritis, & Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, & Matth. 16. 19. Tibi dabo claves regni Cælorum. Nempe in ista ampla verborum vniuersalitate continetur indiscriminatum potestas & auctoritas ad ea omnia, cum quibus potest, & sine quibus non potest vtiliter, commodè, ac opportunè pasci, ac regi grex fidelium. Quo fundamento deducitur communiter & rectissime deducitur potestas Pontificum ad statuendas, & ferendas, atque remittendas censuras, nullo vtiq; titulo magis necessaria ad ædificationem, & optimum regimen fidelium, quam necessaria sint sacramentalia, quatenus remissiva venialium. Eadem ponderatio, & ratio paritatis locum similiter habet in potestate ad Indulgentias, & Iubilæa, quæ potestas ex iisdem Euangelij locis, ab omnibus Doctoribus Catholicis rectè deducitur, inque eisdem contenta agnoscitur indubitanter.

4. Si aqua benedicta, orationi in Ecclesia consecrata, & similibus non inesset vis remissiva venialium ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, quatenus excitare valent in animis fidelium pios, ac salutares motus deuotionis, & feruentis charitatis, quibus solis immediatè, ac directè deleterentur venialia; nihilo plus interesset aspergi aqua verè benedicta, aut orare in Ecclesia verè consecrata, quam aspergi aqua, aut orare in Ecclesia, falsò putata, seu benedicta, seu consecrata, & sic de similibus. Quia pij, & charitatiui motus animi exurgunt in vnoquoque, iuxta cuiusque existimationem, seu veram, seu falsam, quæ de facto præluet voluntati, & non iuxta realem qualitatem obiectorum, circa quæ versantur intellectus, & voluntas. Consequens autem est manifestè absurdum, ac intolerabile, vt liquet ex textibus Canonicis nuper indicatis, & ex communi, ac indubitato fidelium sensu.

5. De aqua nominatim Benedicta multipliciter, & magnificè prædicant vim emundatiuam animæ, atque abstergiuam peccatorum S. Clemens Rom. lib. 3. in fit. cap. 44. & lib. 8. & cap. 29. Cyrill. Catech. 3. Tertull. lib. de Baptismo cap. 4. Carthag. cap. 18. Innocent. III. sermone 3. in Pentec. Idem perhibent de signo Crucis in fronte, & in pectore, quoad vim roborandi animam, præseruandi, ac liberandi à peccatis, iisdem Clemens, & Tertullianus, nec non Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, & Lactantius apud Thomam. Hurt. tract. ultimo, Mor. Resol. 9. §. 3. Idem denique, & quidem significantius traditur de elemosyna à Concilio Cabillonensi cap. 36. ex illo Eccles. 3. *Sic ut aqua extinguat ignem, ita elemosyna extinguit peccatum.* Vnde D. Cyprianus lib. de opere, & elemosyna dicit, quod elemosyna Baptismum imitata, Dei indulgentiam largitur. Certum autem imprimis est eiusmodi testimonia accipi non posse de vi remissiva lethalium, quæ per sola sacramenta remitti possunt ex opere operato. Certum rursus est ob similes loquendi modos circa Sacramenta quoad remissionem lethalium, & quoad collationem gratiæ, nulloque alio fundamento, tribui iisdem sacramentis vim remissiuam lethalium, & collatiuam gratiæ ex opere operato, cum vox ista operis operati in nullis antiquis, aut Patribus, aut Conciliis formaliter reperiatur. Eodem igitur fundamento tribuenda certissime est aquæ benedictæ, signo Crucis, & elemosynæ, virtus remissiva peccatorum venialium ex opere operato.

6. Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. ante med. tradit peccata venialia multis aliis remediis expiari posse, præterquam videlicet sacramento Pœnitentiæ. Hæc autem & multa alia remedia, sunt procul dubio sacramentalia, prout distincta à sacramentis omnibus. Quia sacramenta non sunt multa, atque vt essent absolute, non tamen contraponerentur idoneè sub ea

generalitate, sacramento particulari, de quo ibi agitur. Ergo venialia, non solum per sacramenta, sed etiam per sacramentalia expiari, ac remitti possunt ex opere operato. De quo nimirum remittendi modo determinatè ibi agit Concilium, & non etiam de remissione ex opere operantis.

Art. 1. Responderetur sacramentalia non sumuntur in præsentia strictè pro iis ritibus, & actionibus, quæ sacramentis adiacent, tanquam circumstantiæ, & accidentia quædam ipsorum ordinata ad eorundem ordinatum, vltimque decentiorem. Sub qua significatione dictum de illis est suprâ quæst. 36. Sed sumuntur latius, pro variis & rebus, & actionibus sacris vique adeò dissidentibus inter se, vt sub nullo genere proximo contineantur propriè, ideoque nec definiti possint vna aliqua definitione propriè tal. Dicit verò vnicunq; possunt operationes sensibiles ordinatæ ad excitandam deuotionem fidelium, & ad remissionem peccatorum venialium. Verum melius dignosci valent per sufficientem partium enumerationem quæ communiter exhibetur ex hoc versu.

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedictus.

Per quæ directè, & principaliter intelliguntur, recitatio Orationis Dominicæ, asperio aquæ benedictæ, panis benedicti comestio, confessio generalis extra sacramentalis, quæ dici solet in principio Missæ, atque in Officio Diuino, largitio elemosynæ, benedictio Episcopi, necnon Abbatis consecranti. Reuocantur præterea ad orationem quidem, ingressus in Ecclesiam consecratam coniunctum cum religiosa aliqua actione exteriori, & cultu Dei, atque Sanctorum maxime verò actus ipse orandi, quatenus complectens circumstantiam loci sacri, & Ecclesiæ consecratæ. Ad tincturam verò, vinctio quælibet sacra; distincta ab ea, quæ sacramentum est, & non purè sacramentale. Tinctio denique pectoris coniuncta cum exteriori pietatis specie reuocatur, tum ad orationem, tum ad confessionem, prout contingerit exteriorem apparentiam inclinare ad indicandum motum internum, vel orationis, vel compunctionis, atque doloris de peccatis. Ad orationem etiam reuocatur signum Crucis in fronte, & in pectore, prout communiter fieri à fidelibus consuevit, vt potè perentibus liberationem ab inimicis nostris.

Art. 2. Certum est hæc omnia prædita esse vi aliqua peculiari ad inducendam remissionem venialium, atque in hunc finem aliquatenus valere actiones ipsas eiusmodi exteriores, & non solos actus internos, quibus præexistenibus, & imperantibus, illæ exercentur. Hoc enim efficaciter euincunt auctoritates inductæ in rationibus dubitandi, necnon vsus, atque consensus communis fidelium, doctis, & indoctis vbique gentium altissime insidens, itavt oppositum absque magna, ac manifesta temeritate, ac impietate dici nequaquam possit. Nempe, *si quid per vniuersum orbem frequenter Ecclesia de eo, quin rectè fiat disputare, insistentissima insania est; vti meritò pronunciat August. Epist. 118. Vnde Theologi omnes in hoc vniuersimodè conueniunt apud magistrum dist. 16. & 21. cum D. Thoma in hac quæst. 87. art. 3.*

Art. 3. Porro certitudo hæc virtutis alicuius peculiaris, conuenientis sacramentalibus prædictis, aduersus venialia non habet vnum, idemque aut vniforme in omnibus illis, ac singulis fundamentum, nec ipsa virtus eisdem omnibus, ac singulis, ex vno eodemque capite certissime inest. Oratio namque Dominica, Confessio generalis, & tinctio pectoris, conferunt specialiter ad deletionem venialium, quatenus exercentur ex sua natura cum aliquo motu detestationis peccatorum, vt obseruat D. Thomas in prædicto art. 1. In oratione namque Dominica continetur petitio remissio

remissionis peccatorum, dum dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Tuncio etiam pectoris, & confessio generalis exhibentur ad significandam, atque excitandam internam peccatorum detestationem. Constat autem ex quaestione præcedenti istum animi motum valere ad remissionem venialium. Vnde quæ conferunt ad illum excitandum, fouendum, ac perficiendum, vti conferunt prædictæ exteriores actiones, conferunt vtiq; eo ipso ad remissionem venialium. Huc etiam aliquatenus pertinet signum Crucis in fronte, & pectore, quatenus exercetur cum petitione liberationis ab inimicis nostris, à quibus videlicet, eatenus præcipue liberamur, quatenus liberamur à peccatis, in quæ illi assidue tentant nos inducere. Quæ de causa prouenit, ut actio signandi se Cruce, coniuncta cum ea oratione, proficiatur ex detestatione demonis, quatenus pertrahentis ad peccata, ac proinde ex detestatione ipsorum maximè peccatorum. Aspersio verò aquæ benedictæ, comestio panis benedicti, & actus orandi, quatenus exercitur in Ecclesia consecrata, vigent in eundem finem remissionis venialium, ex vi orationis, & precum Ecclesiæ, quæ præmittuntur in benedictione, tum aquæ, tum panis, necnon in consecratione Ecclesiæ. Quia Ritus Ecclesiasticus benedicens, & consecrandi continet in se orationes, quibus inter alia petitur implicite, vel explicitè, tum præferuatio à venialibus in futurum, tum remissio venialium iam commissorum, respectu eorum, qui aspergentur ea aqua, eo pane cibabuntur, & orabunt in ea Ecclesia. Nec dubitari potest quin orationes eiusmodi præambulæ fuisse nomine publico Ecclesiæ, atque continentes, ex vi primariæ suæ institutionis, applicationem aliquam thesauri ipsius Ecclesiæ, vim plurimam habeant ad impetrandâ à Deo auxilia gratiæ opportuna pro eliciendis piis animarum moribus, deletiis venialium ex sua natura, respectu eorum omnium, qui prout oportet, vtenitur ea aqua, & eo pane, eamque frequentabunt Ecclesiam, & orabunt in eadem. Idem dicitur eadem ratione, de qualibet sacra vntione. Idem quoque dicitur suo modo de benedictione Episcopali, quatenus ea quoque coniuncta esse solet cum applicatione meritum Ecclesiæ, aut cum concessione indulgentiæ, quæ indulgentia, licet non valeat ad remissionem quoad culpam, valet tamen ad remissionem quoad penam, atque pena ipsa intelligitur frequenter nomine peccatorum, vt notatum est in quaestione præcedenti. Istum modum deletionis venialium tribuit pariter D. Thomas prædictis sacramentalibus in dicto articulo, ibidemque, ceteri communiter. Quod ad eleemosynam attinet, eius largitio hoc habet ex sua natura, vt animum auocet ab adhesionem ad bona temporalia, in quorum nimio amore consistit fundamentaliter origo peccatorum maximè venialium. Eadem mouet pauperes ad orandum pro eo, à quo sibi subuenitur. Atque ex utroque capite eleemosyna est validum aduersus omnia peccata præsidium, & aduersus venialia facile inducit actus, qui se solis sufficiunt ad remissionem eorum, etiam quoad culpam in pio eleemosynarum largitore iam aliunde iusto. Demum omnes indiscriminatim actiones exteriores huiusque enumeratè exercentur vt plurimum cum pio aliquo motu reuerentiæ in Deum, & res Diuinas, atque ex sua natura excitant in animo eundem pietatis motum, qui est detestatio peccatorum venialium, vel explicitè, vel saltem implicitè. Dictum autem est in quaestione præcedenti ex communi consensu expresso D. Thomæ in eo articulo tertio, detestationem eiusmodi valere ex sua natura ad remissionem venialium. His itaque modis, & rationibus certissi-

mum est sacramentalia prodesse ad remissionem venialium.

Art. 4. Cæterum eadem in eundem finem prodesse ex opere operato, quod docent Victoria, Dominicus Soto, Valentia, Ledesma, & nonnulli alij, nullo satis firmo nititur fundamento, & adest potius fundamentum in contrarium. Nullum eam in rem sufficiens fundamentum apparere, constabit ex dicendis inter soluendum rationes dubitandi. Et quidem hoc solum omnino sufficeret ad negandam sacramentalibus eam vim remittendi venialia ex opere operato. Cum enim hic effectus, & eiusmodi efficacia dependeat ex libera voluntate Diuina, quatenus absoluta ab exigentia innata rerum, nihil de ea pronunciari debet, præsertim quia res est magni momenti, absque fundamento itidem magno, in doctrina reuelata. Quale tamen, ne quidem mediocre adest pro affirmatiua, apparebit, vt sponendi, ex dicendis. Fundamentum præterea posituum partis negatiuæ accipi potest satis efficax, ex natura peccatorum venialium, comparata cum institutione, & natura prædictorum sacramentalium.

Art. 5. Is nimirum, & per ea inducere potest remissionem venialium ex opere operato, qui, & per quæ inducere potest ex opere operato bonum compensatum malitiæ, quæ inest peccatis venialibus, seu restituere potest bonum sublatum per eadem venialia, atque eisdem oppositum. Hoc autem bonum est feruor charitatis, vt sæpè dictum est ex D. Thoma, aliorumque communi consensu, atque hic feruor dupliciter in animum inducitur. Primum immediatè, & formaliter inducendo actus ipsos bonos, qui continent in se eum feruorem charitatis, vel formaliter, vel æquiuallenter. Manifestum verò est nullius, aut Sacramenti, aut sacramentalis causalitate induci immediatè posse eiusmodi actus ex opere operato. Secundò inducitur idem, feruor mediatè, & radicaliter, inducendo immediatè auxilia gratiæ habitualis, vel actualis, ratione quorum animus reddatur bene dispositus ad actus charitatis feruenter exercendos. Huiusmodi autem auxilia, cum sint supernaturalia, in nullius causæ secundæ actiuitate continentur, sed in sola virtute omnipotentiae Dei, atque ab eius libera, ac gratiosa voluntate immediatè dependent, non minus, quam gratia sanctificans. Dictum porro est cum D. Thoma, aliorumque communi consensu supra quaestione 10. Sacramenta causatiua gratiæ sanctificantis ex opere operato sola Diuina voluntate institui potuisse, eademque sola oportuisse, vt primò, ac principaliter designarentur, ac determinarentur materiæ, & formæ, quibus virtus eiusmodi causatiua communicaretur, idque ob hanc præcisè rationem, quia gratia sanctificans in sola omnipotentia Dei continetur, atque ab eius sola libera, & gratiosa voluntate dependet. Eadem igitur ratione, qua ex communi Theologorum consensu oportuit, vt Sacramenta instituerentur immediatè ab ipso Deo, oportuisset etiam, vt sacramentalia instituta fuissent ab eodem, si haberent virtutem inducendi ex opere operato auxilia gratiæ habitualis, vel actualis, reparatiua feruoris charitatis. Est autem in confesso, apud aduersarios quoque nostros sacramentalibus non inesse talem virtutem immediatè ex institutione Diuina; neque de hoc dubitari villo pacto potest; cum liquide constet de humana sacramentalium institutione per voluntatem, atque designationem Pontificum. Dicendum igitur est sacramentalia prædicta non esse remissiva venialium ex opere operato, seu non esse prædicta virtute inducendi ex opere operato, vlla dona supernaturalia gratiæ, quibus tollatur, aut compensetur iactura feruoris charitatis, quæ inducta fuerat per peccata venialia.

Art. 1. Ad 1. Duo sunt, quæ efficaciter persuadent non subsistere traditionem antiquam à tempore Apostolorum, & communem consensum fidelium de remissione venialium per sacramentalia ex opere operato. Alterum est Divum Thomam, D. Bonaventuram, Alensem, Durandum, Ricardum, Abulensem, Turre-Crematam, Suarez, Vasquez, & alios non paucos refragari virtuti sacramentalium ad remittenda venialia ex opere operato. Fieri enim verò minime potuit, ut tot, tantique Authores, & Antiqui, & Moderni, aut ignorarent communem traditionem, & consensum, aut eidem contradicere auderent. Et quidem de reliquis præter D. Thomam Authoribus minime dubitatur, quin pro hac parte, legitime adducantur à Suarez disputatione 12. sect. 2. & ab aliis in præsentia. Sed neque de D. Thoma dubitari rationabiliter potest. Quia in hac quæstione 87. art. 3. quæ benedictæ, aliisque similibus, tribuit remissionem venialium præcisè, *in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, in quantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res Diuinas*. Quales sanè reduplicaciones nostrorum actuum pro remissione ex opere operato nullibi vsurpantur, aut vsurpari idonee possunt, siquidem quæ habent vim causatiuam ex opere operato, transcendunt limites actuum nostrorum, ac proinde inducunt effectum, qui iisdem actibus cum tali reduplicacione adscribi minime possit, ut apparet ex declaratione operis operati, præmissa supra in communi quæstione 19. Certè ipse D. Thomas ibidem in principio corp. non adhibet eiusmodi nostrorum actuum reduplicacionem circa remissionem venialium per Sacramenta, sed hanc aliam: *In quantum in eis infunditur gratia. Quia per infusionem gratia tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam, & Extremam Vnctionem, & vniuersaliter per omnia Sacramenta nouæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur*. Vnde, dum immediate subiungit secundum, & tertium modum omnino diuersum remissionis per sacerdotalia, cum prædicta reduplicacione nostrorum actuum, manifestè excludit à sacramentalibus remissionem ex opere operato, quam attribuerat Sacramentis. Hoc ipsum apparet clariùs ex his, quæ dicit in 4. distinct. 16. quæst. 2. art. 2. fine, ubi ad 1. respondet: *Sed ista (sacramentalia) dicuntur peccatum veniale remittere in quantum vi actuum nostrorum feruorem excitant, & similiter ad secundum. Ista sine contritione non delent peccatum veniale; sed dicuntur delere, in quantum contritionem causant*; quam tamen certum est non causari ex opere operato, ut prænotatum iam supra est. Quæ cum satis manifestent mentem D. Thomæ pro hac parte, non multum curandum est, quid deinde dixerit, vel non dixerit Additionator eius de hac re.

Artic. 2. Alterum eandem in rem fundamentum est, fideles non adhibere communiter, cum ea firmitate fiducia, & spei remissionis venialium sacramentalia, quæ cum adhibent Sacramenta. Quæ autem sunt certa ex traditione, & tenentur ut talia ex communi consensu, adhibentur eatenus cum totali securitate, ac firmitate spei, atque fiducia. Accedit eisdem fideles non perinde angî scrupulis propter sacramentalia nulliter vsurpata, ex defectu dispositionis sufficientis, sicut anguntur circa Sacramenta nulliter suscepta eadem de causa; cum tamen si perinde sibi persuaderent de institutione sacramentalium, & Sacramentorum cum virtute remissiuâ ex opere operato, perinde, aut ferè deberent vereri nullitatem vtrorumque, cum agitur de delendis solis venialibus. Accedit rursus eisdem fideles, postquam susceperunt benedictionem Episcopalem, cui, & aquæ benedictæ, aliisque similibus eandem prorsus vir-

tutem, & causalitatem, attribuit Diuus Thomas ubi supra, subiicere nihilominus Sacramento Pœnitentiæ eadem illa venialia, quibus erant obnoxij, ante talem benedictionem, cum tamen quæ semel exposuerint in sacramento, non soleant simili cum diligentia, & frequentia exponere iterum in eodem Sacramento. Non igitur agnoscunt in sacramentalibus virtutem remittendi ex opere operato, qualem agnoscunt in Sacramentis. Apparet itaque gratis affirmari prædictam traditionem, & communem fidelium consensum. Crediderim æquiuocationis causam fuisse, quod fideles communiter agnoscant peculiarem aliquam vtilitatem sacramentalium pro delendis venialibus. Eam nimirum, quæ asserta, & exposita supra est art. 2. & 3. ad quæstionem. Et quia ea vtilitas non satis distinctè apprehenditur, ac discernitur vulgariter, propterea confusa incautè est, cum assensu, & traditione operis operati.

Ad 2. Pater Suarez ubi supra, Martinon, & alij in præsentia, clarè, & fusè, ostendunt in nullo ex illis canonibus quiddam haberi de remissione ex opere operato, seu formaliter, seu æquiuolenter, ac conuertibiliter. Solum namque statuitur in genere specialis vtilitas sacramentalium ad delenda venialia. Quam tamen specialem vtilitatem optimè subsistere absque virtute remittendi ex opere operato, liquido apparet ex iisdem art. 2. & 3. Certè locum illum ex 3. Regum 8. nihil concludere vltra id, quod dictum à nobis est in illo artic. 3. apparet clarè ex ratione illius effectus, *in exaudiis*, quæ subiungitur ibi v. 43. *Ut probent, quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc, quam edificauit*. Per quæ verba, effectus orationis quatenus sanctæ in Templo consecrato, reuocatur, uti reuocatus à nobis est, in orationem, & inuocationem præmissam in consecratione Templi. Quapropter locutiones eiusmodi circa sacramentalia, utcumque aliquatenus similes locutionibus communibus circa Sacramenta, temperandæ sunt, atque in legitimum sensum reducendæ ex diuersitate materiæ subiectæ, iuxta normam rationis Theologicæ, quæ superius præmissa est. Quod quidem sapissime fit ab interpretibus sacra Scripturæ, & à nobis præstabitur infra ex communi, ac indubitato consensu quæst. 99. ad 1.

Ad 3. Quando aliquid conceditur explicite, ea omnia & sola subintelliguntur concessa implicite, quæ necessaria sunt, ut subsistat, utque bene habeat, quod conceditur explicite. Eiusmodi autem sunt potestas pascendi, atque regendi gregem Christi expressè concessa Petro, & successoribus eius, & potestas coercendi per censuras; necnon potestas Clauium ad ligandum, & soluendum, & potestas ad concedendas Indulgentias per dispensationem thesauri Ecclesiæ, ut dicitur in loco, & communiter deducunt, atque conuincunt Doctores Catholici aduersus Hæreticos. Non sunt autem eiusmodi, eadem potestas pascendi, & regendi gregem Christi, eidemque claudendi, & recludendi regnum Cælorum, & potestas instituendi causas instrumentales remissiuas venialium ex opere operato. Quia independentè ab hac institutione suppetunt remedia satis multa, & efficacia ad obtinendam remissionem venialium, ut est notum apud omnes & notabitur in responsione ad 5. Quod ad consolationem fidelium per remedia facilia venialium, non facillè est arbitrari, quantam præcisè oporteat esse eiusmodi, & consolationem, & facilitatem. Hoc vnum est certum, peccata venialia; quæ sæpè minuunt feruorem charitatis erga Deum; & plectuntur grauissimo supplicio ignis Purgatorii, non esse malum facillè contemnendum, proptereaque expedire, ne credatur, neve re ipsa sit nimium facile remedium eorum ex opere

opere operato per actiones exteriores facillimae executionis. Vnde ex hoc capite suaderi magis potest sacramentalibus eam vim nequaquam inesse. Conceditur itaque, concedere Deum potuisse absolute potestatem instituendi sacramentalia cum virtute remissiva venialium ex opere operato, quod attinet ad designationem, ac determinationem materiae, & ritus exterioris, iuxta dicta supra in quaestione illa, 10. quam recolere oportet. Sed negatur expedituisse, ut eandem potestatem concederet, aut concessam de facto fuisse propterea, quae ponderata iam sunt.

Ad 4. Aquae reipsa benedicta, & orationi in Ecclesia re ipsa consecrata, suffragantur specialiter orationes, & applicationes meritorum Ecclesiae, quae interueniunt in benedictione, & consecratione. Vnde, ceteris paribus, uberiora auxilia gratiae inde promittunt, quam ex usu aquae, & Ecclesiae cum falsa estimatione de benedictione, & consecratione. Pij autem animorum motus dependent multo magis ex ubertate auxiliorum gratiae, quam ex peculiari cuiusque estimatione, qualiscunque ea sit. Idem porro dicitur de similibus.

Ad 5. Vt ea omnia verissime dicantur de aqua benedicta, & de signo Crucis, quae dicuntur ab illis Patribus, abunde sufficiunt, pro aqua quidem benedicta orationes Ecclesiae, quas illi diximus suffragari, pro signo vero Crucis oratio, quae ab unoquoque funditur in ipso actu signandi se simul cum piis utrobique animorum motibus, qui excitantur ex vi intentionis purgandi, ac praemuniendi animam, qua intentione saltem ut plurimum exercentur eiusmodi actiones, atque ex memoria, & representatione Crucis Christi, dum fit signum Crucis in fronte, ore, & pectore. Notius est, quam ut doceri adductis testimoniis debeat, similibus laudum titulis folere commendare; atque magnificare sanctos Patres, aliosque viros pios, alias quoque operationes exteriores, mortificationis, humiliationis, charitatis in proximum, quae inter sacramentalia à nemine numerantur, & quibus à nemine tribuitur ullus effectus ex opere operato. Nihil igitur ex eiusmodi encomiis, utcumque magnificis, ac illustribus deduci vlla probabilitate potest pro scopo praesenti, maxime cum in Evangelio retribuatur Regnum Caelorum potius aquae frigidae misericorditer subministrato, quo nihil maius, aut illustrius dici potuit, & tamen ille tantus effectus à nemine censetur provenire ex opere operato, sed ex solo opere operantis. Hinc sponte apparet, quid putandum sit de vi extinctiva peccatorum, quae praedicatur de elemosyna. Nempe eam praedicationem niti virtute meritoria elemosynae, & non propter vim, extrinsecus sibi superadditam, remittendi peccata ex opere operato. Deinde vis extinguendi peccata, quae attribuitur elemosynae, perperam, & sine fundamento restringitur ad venialia, cum in textibus, qui opponuntur, aliisque similibus, permixtis elemosyna contraponatur peccatis, absque ea restrictione, atque nomine peccatorum absolute prolato, potissimum intelligantur lethalia, & elemosynae consilium principaliter ordinetur ad remedium eorum lethali. Demum, quod ad Sacramenta attinet, & paritatem, ex illis derivatam ad sacramentalia, constat aliis loquendi formalis comprobari virtutem causatiuae gratiae, & remissionis peccatorum ex opere operato, Sacramentorum propriam, ut patet ex iis, quae superius ea de re producta sunt. Adde verba sacramentalia, aliasque operationes exteriores, quibus Sacramenta perficiuntur, seclusa Divina institutione, eleuante illa ad agendum ex opere operato, ad nullam virtutem pertinere, idoque virtuti eorum meritoriae, seu operi ope-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I. l.

rantis adscribi minime posse effectus, qui illis tribuuntur, sicut adscribi possunt, qui de sacramentalibus praedicantur, ut apparet ex dictis.

Ad 6. Quin sacramentalia habeant virtutem remittendi venialia ex opere operato, dantur remedia satis multa distincta à Sacramento Poenitentiae, de quo ibi agit Concilium; nempe cetera in primis omnia Sacramenta, quibus delentur ex opere operato; Sacramentalia deinde quibus delentur ex opere operantis, modis, & rationibus explicatis supra art. 2. & 3. operationes denique omnes virtuosae, quae continent in se explicitè, vel saltem implicitè detestationem aliquam eorum venialium. His namque omnibus, & singulis, quae profecto sunt bene multa, attribuit D. Thomas in dicta quaest. 87. praefertim in dicto art. 3. & cum eo communiter, & merito reliqui Theologi vim sufficientem ad delendum venialia, vel vniuersim omnia coniunctam, vel seorsim aliqua pro modo dispositionis, ac detestationis ab unoquoque praconceptae.

QVÆSTIO XCIII.

Vtrum omnis, & solus Sacerdos sit Minister idoneus huius Sacramenti?

Videtur nec omnis Sacerdos, nec solus esse idoneus. 1. Quia Iacob. 5. 16. dicitur: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, ut saluemini.* Vbi nulla fit mentio de Sacerdote, sed sermo est de omnibus, & quibusvis indiscriminatum promiscuus. Et praeterea praceptum de mutua confessione coniunctum, sub eadem formula; ac periodo, cum pracepto de oratione mutua, clare indicat eandem esse vtriusque indifferentiam, & vniuersalitatem in quolibet, respectu cuiuslibet. Vnde D. Cyprian. lib. 2. epist. 17. *Si quis, ait, oppressus infirmitate non potuerit expectare aduentum Sacerdotis reconcilietur per Diaconum facta prius confessione.* Magister etiam in 4. distinct. 17. docet disertè, in defectum Sacerdotis, faciendam esse confessionem coram laico. Quod ipsum traditur à D. Thom. ibidem quaestione 3. art. 3. quaestione 2. Ergo Minister idoneus, seu absolute sufficiens, ac praecise necessarius huius Sacramenti non est solus Sacerdos.

2. Sacramentum Poenitentiae est necessarium ad salutem necessitate medijs, sicut Baptismus, ut superius dictum est. Sacramentum autem Baptismi à quolibet, siue Sacerdote, siue laico administratur validè; idque concessum, ac benignè prouisum à Deo est ob eam eius Sacramenti necessitatem, ne cui videlicet tam facile deesse posset medium simpliciter necessarium ad consecutionem vitae aeternae, quam facile fieri potest, ut desit praesentia Sacerdotis. Ob eandem igitur rationem quilibet, siue Sacerdos, siue laicus potest ministrare validè Sacramentum Poenitentiae, saltem in casu vrgentis necessitatis. Creandum enim nequaquam est, nolle Deum, sua misericordia, cuius non est numerus, atque potentia, quae est infinita, supplere idoneitatem absolute, & seclusa tali necessitatis vrgentia, requisitam ex parte ministri, exhibente poenitente, quantum potest, & pertinet ad ipsum.

3. Sacerdos non approbatus non confert validè absolutionem; & is qui est approbatus cum aliqua limitatione, si praetergreditur limites sibi praefixos nulliter absoluit, siue limitatio versetur circa personas, siue circa peccata. Vnde à casibus reservatis nulliter absoluit, qui non est superior reservante, aut non est delegatus ab eodem. Idem dicitur de appro-

ss 2 bato